



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris  
Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 2. Quo jure teneantur Canonici ad horas in Choro per solvendas

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

De Hierarchy Ecclesiastica. 65

Concil. Trident. sess. 24. de Reform. cap. 12.  
ubi sic ait: omnes divina per se, & non per  
substitutos compellantur obire officia, atque  
in Choro ad psallendum in instituto Hymnis &  
Canticis Dei nomen reverentur, distincte de-  
voteq; laudare.

Articulus Secundus.

Quo jure teneantur Canonici ad Horas  
in Choro persolvendas.

I. **C**anonici tenentur ad chorum, sive  
ad Horas Canonicas in choro ju-  
re naturæ & virtuali justitiæ contractu, in  
fundatione, collatione, & acceptatione cō-  
tento. Primo enim Canonicatus fundati  
sunt, ut iij quibus conferrentur, officium  
publicum in choro facerēt, nec aliter con-  
ferri aut acceptari possunt, nisi sub illo o-  
nere: hoc indicat Conc. Trid. sess. 24. de Re-  
form. c. 12. (ubi sic decernit.) Obtinetibus in  
ijsdem Cathedralibus aut Collegiatis præben-  
das, non liceat, vigore cuiuslibet statuti aut  
consuetudinis ultra tres menses ab ijsdem  
Ecclesijs quolibet anno abesse, alioquin pri-

mo anno privetur quilibet dimidia parte  
fructuum, quos ratione etiam præbenda ac  
Residentia fecit suos: quod si iterum eadem  
negligentia fuerit usus, privetur omnibus  
fructibus quos eodem anno lucratus fuerit.  
Hujus legis justitia non subsisteret, si ad  
Chorum Canonici personaliter non ob-  
ligarentur.

2. Infundatione vero Canonicatum duplex invenitur contractus: Primus ex  
primi potest his verbis: Beneficium fun-  
do, ut qui illud obtinuerit in Choro offi-  
cium faciat. Et vigore hujus contractus  
tenetur Canonicus ex justitia Choro in-  
teresse, alias injustitiam committit: Secun-  
dus est: qui terminatur ad Ecclesiam fun-  
dationem acceptantem, & exprimitur his  
verbis: fundationes tuæ administrationi  
trado, ut officium per eos, qui eas obtine-  
bunt fieri cures: virtute hujus contractus  
Ecclesiæ Prælati & Capitulorum capita  
tenantur providere, ut ipsi Canonicatus  
obtinentes officio Chori intersint.

3. Porro obligatio Canonicorum ad Cho-  
rum non est solum pænalis, sed etiam obli-

gat

gat ad culpam in foro conscientiæ, quia in contractu fundationis duo continentur: nimirum: ipsa substantia officij & decor Ecclesiæ, gravis vero injuria fit Ecclesiæ, si ob absentiam Beneficiatorum aut officium cesseret aut notabiliter deficiat, cui non satis facit Canonicus per pœnalem mulctā, illâ enim solum personaliter punitur, sed Ecclesiæ damnum non reparatur, & sic incurrit conscientiæ culpam.

4. Legitimæ causæ excusantes Canonicum à choro & consequēter à peccato, si choro non ad sit ad quatuor capita referuntur, quæ sunt: Necessitas, dispensatio, facultas, æquitas. Sub necessitate comprehenduntur infirmitas, incommoditas gravis, impedimenta moralia ratione quorum sine gravi suo vel aliorum detimento non possit Chori officio interesse. Sub dispensatione omnis dispensatio quæ à Summis Pontificibus emanat. Sub facultatibus comprehenduntur speciales licentiæ quæ ab Episcopis vel præfectis Capitulorum ex communī consensu, ex legitimis causis conceduntur. Sub æquitate continentur cau-

ſæ

sæ juris & justitiæ : ut cum aliquis non recipit fructus, vel cum titulus est litigiosus, item cum nec modo recipit, nec spes est, quod recipiet in futurum ; quod additur propter eos quorum bona ecclesiastica ad tempus aliquod ruina tempestatum vel bellorum consumpta sunt pro uno altero. ve anno , illi enim omnes tenentur etiam in tali consistentia, si detur locus tutus residentiæ, ad officium Chori, quia illæ ruinæ breves accidentia communia censerunt, nec ab officio excusant.

### Articulus Tertius.

*De actibus quibus censeatur Canonici satisfacere Officio Chori.*

I. **T**Res potissimum hic actus considerari possunt. Primus est : assistentia sive præsentia in choro: Secundus est lectio horarum ibidem : Tertius est cantus communis in Choro. & vocatura assistentia Religiosa, quæ est hominis Dei hac sua præsentia, colentis, orantis, vel honorantis. Primus actus qui est materialis